

καὶ τὸν βίον Σαρδαναπάλου· νῦν δ' ἀντικρυς ὀλιγαρχία ἐστίν. αἱ γὰρ τῶν πλει-
 ὄνων ψῆφοι νικῶσι τὴν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως. εἰσὶ δὲ πλείους τῶν σπουδαίων
 οἱ μὴ πάνυ ἀρετὴν ἐπαινοῦντες — δεῖ γὰρ ἔτι μετριάζειν τῷ λόγῳ — οὐ μὴν
 δὲ καὶ τινα ἐλέσθαι αὐτῶν τετολμήκασιν, ἀλλὰ τῶν ἄλλων, ὃν ἤδεσαν ἄλλως
 5 μὲν ἀγαθὸν ὄντα, ἀπλοῦν δὲ τινα τὸν τρόπον καὶ ἀπολίτευτον, τοῦτον εἶλοντο,
 πρόφασιν μὲν ὡς ἀγαθόν, ταῖς δ' ἀληθείαις ὡς ἀπολίτευτον, ἵν' ὡς δῆθεν
 χαρισάμενοι τὰ περὶ τὴν αἵρεσιν ἔχοιεν ἄγειν καὶ φέρειν, ἢ ἂν δοκῆ, καὶ μὴ B 49
 δι' ἐμπειρίαν τοῦ ἀρχοντος κωλύοιτο μὴ τὰ σφίσι αὐτοῖς σπουδαζόμενα
 πράττειν. ταῦτα δὲ ἡσθάνοντο μέντοι καὶ οἱ σπουδαῖοι κατασκευαζόμενα καὶ
 10 ἄσμενοι, ὡς εἰκός, τὸ πρᾶγμα ἐδέχοντο. ἀγαπητὸν γὰρ αὐτοῖς ἦν, εἰ μὴ τις L 69^v
 τῶν ἐναντίων προχειρισθεῖη, προσεποιοῦντο δὲ ἀγνοεῖν καὶ τι καὶ ἀντιπράττειν,
 ἵνα μὴ μαθόντες ἐκεῖνοι τὰ δοκοῦντα δὴ καὶ αὐτοῖς πράττειν πρῦμναν τὸ λεγό-
 μενον κρούσαιεν· ἴδιαν γὰρ αὐτῶν παντάπασι γενέσθαι τὴν αἵρεσιν ἠθέλον
 καὶ συμφωνεῖν ἐπ' οὐδενὶ τοῖς ἀρίστοις. οὕτω μὲν δὴ ἠρέθη ὁ νῦν ἄρχων, τῷ
 15 μὲν δοκεῖν παρὰ γνώμην τῶν τοῦ συλλόγου ἀρίστων, τῇ δ' ἀληθείᾳ κατὰ γνώ- D 39^v
 μὴν αὐτῶν καὶ πολιτικὴν τινα φρόνησιν. καὶ εἶπερ ὁ αἰρεθεὶς πολιτικώτερος
 ἦν, παραχρῆμα ἂν συνέβαινε τοῖς οἰομένοις κτήσασθαι σφίσι αὐτοῖς τὴν
 ἀρχήν, ἀλλὰ μὴ τῷ αἰρεθέντι αἰσθέσθαι σφᾶς αὐτοὺς καταπεπολιτευμένους
 γε ὑπὸ τῶν ἀρίστων. νῦν δ' ὅπερ ἐκεῖνοι μέλλον καὶ χρήσιμον αὐτοῖς ὑπειλήφα-
 20 σιν, ἀπλοῦς ἔτι ὁ ἄρχων ἐστί. καὶ δέον μισεῖν μὲν τὸν τῶν ἐλομένων σκοπὸν πλεο-
 νεκτικὸν καὶ παράνομον ὄντα, Θεῷ δὲ χάριν εἰδέναί, ὧν φαύλοις ἀνθρώπων
 χρησάμενος λογισμοῖς εὖ παρεσκεύασεν. ὅδε ταῦτα μὲν οὕτω καθίστησι φανερά,
 τιμᾶ δὲ ἔτι ἐκείνους καὶ δώροις ἀμείβεται πλείστοις καὶ πάντα ἐπ' ἐκείνοις
 ἐᾶ τὰ πράγματα. καὶ ὅλως ἐκεῖνοι μὲν, καθ' ἃ ἠλπισαν, ἅπαντα νειμάμενοι L 70^v
 25 ἔχουσιν· ὁ δὲ προσκυνεῖται μόνον ὥσπερ ξόανον, κατάκλειστος ἐν τοῖς βασι-
 λείοις. ἀπρακτοῦσι δὲ καὶ ὅσοι ἀριστοὶ τοῦ συλλόγου, ἠττώμενοι τῆς τῶν
 ἐτέρων ἐπικρατείας, ὥστε νῦν ἀριστοκρατικὸν μὲν καὶ μοναρχικὸν οὐθέν, B 49^v
 ὀλιγαρχικὸν δὲ μεστὸν πλεονεξίας τε καὶ τρυφῆς.

Τούτων δ' οὕτως ἐχόντων, λόγος ἐμὸς ὅδ' ἐστί. καιρὸς ἤδη σε τοῖς κοινοῖς
 30 δαψιλέστερον βοηθῆσαι ἐκ τῶν προτρεπτικῶν λόγων· καὶ κολάσαι μὲν τὰς
 τῶν ἐπιτιθεμένων τοῖς πράγμασι τουτωνὶ ὀρμάς, ἐμποιῆσαι δὲ φρόνημα τῷ D 40
 ἀρχιερεῖ γενναῖον καὶ θεώρημα θέσθαι πολιτικὸν καὶ τοῦ σχήματος ἄξιον·
 ἀντιλαμβάνεσθαί τε πρεπωδέστερον τῶν πραγμάτων παρακαλέσαι καὶ τοῖς
 ἀρίστοις χρῆσθαι συμβούλοις, τὰ τε ἄλλα καὶ τὸ μὴ τοῖς κατὰ συμβεβηκὸς
 35 ὑπουργήσασαι τὰ θυμῆρη πρεσβεῖα τὴν ἀρχὴν νέμειν. οὐδὲ γὰρ οἱ πόλιν παρὰ
 προδότου λαβόντες τιμῶσι τὸν δεδωκότα, ἀλλὰ τὸ μὲν πρᾶγμα ὡς χρήσιμον
 αὐτοῖς ἀποδέχονται, τὸν δὲ προδόντα μισοῦσι τῆς προαιρέσεως. φιλοῦσί τε
 καὶ τῆς ἀρετῆς ἄγανται τῶν πολιτῶν τοὺς μήτε χρημάτων μήτε ἀδόξου τιμῆς L 70^v

1 ἀντικρυς B L ἀντιχρυσ D | 2 νικῶσι B L νηκῶσι D | 4 αὐτῶν] αὐτῶν L B D |
 7 δοκῆ B L δοκεῖ D | 9 ἡσθάνοντο L ἡσθάναντο B D | 12 πρῦμναν L πρῦμνα B D |
 13 κρούσαιεν B L κράσαιεν D | 13 αὐτῶν] αὐτῶν L B D | 14 τῷ L τὸ B D |
 22 παρεσκεύασεν L παρασκεύασεν B D | 23 ἐκείνοις B L] D corr. ex ἐκείνους | 31 ἐπι-
 τιθεμένων L ἐπιθεμένων B D | 35 πρεσβεῖα L πρεσβεία B D | 37 αὐτοῖς] αὐτοῖς L B D

σφᾶς αὐτοὺς ὠνίους ποιησαμένους. προϊόντι δὲ τῷ λόγῳ καὶ ἐπ' εὐεργεσίαν ἀνθρώπων προτρέψαι, ποιούμενον τοὺς τῶν χρημάτων πόρους ἐφ' ἑαυτῷ, ἀλλὰ μὴ τοῖς φειδωλοῖς τε καὶ γλίσχροις ἐπιτρέποντα παρασκευάζειν αὐτοῖς εὐπορίας εἰς οὐδὲν δέον, μηδὲ τοῖς πάντα εἰς ἡδονὰς ἀναλίσκουσι καὶ ὀρέξεις ἀλόγους παρέχεσθαι ἔργων μοχθηρῶν ἀφορμὰς. ὅλως τε οἶόν τις Φειδίας, 5 λόγου καλλίστου δημιουργός, πλάττε οἶον δεῖ τὸν κυρίως ἄρχοντα εἶναι, ἐπειδὴ καὶ ὕλη ὑπόκειται ἐπιτηδείως ἔτ' ἔχουσα πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν σῶν λόγων μορφήν. οὕτω γὰρ τελείως κεκράτηται ὑπὸ τῶν φαύλων τουτωνὶ τεχνιτῶν καὶ D 40^v πλαττόντων μηδ' ὅτιοῦν ὑγιές, ἀλλ' ἐτι φύσεως ἀρετῇ τὸ πλαττόμενον ἀντι- B 50 κρούει· καὶ ζητεῖ μὲν τὰ βελτίω, κωλύεται δὲ ὑπὸ τῶν κατειληφόντων. ἀλλὰ 10 σὺ καλλιτέχνησον φθάσας καὶ χεῖρα τῇ Χριστιανῶν ὄρεξον πολιτείας, ἀπεργαζόμενος τὸν ἄρχοντα, οἶον ὃ τε λόγος καὶ τὰ πράγματα ἀπαιτεῖ.

Προσθεῖναι δὲ χρεῶν καὶ τὰ συντείνοντα πρὸς τὸν ἐπηρτημένον κίνδυνον L 71 τοῖς Ἰταλιώταις· μάτην γὰρ ἂν προτρέποιμεν εἰς τὰ ἐλευθέρια τῶν ἔργων καὶ μεγαλοπρεπῆ τοὺς ἡμετέρους γε ἄρχοντας κινδυνεύοντας δὴ ἀποβαλεῖν 15 ἦν ἀρχὴν κέκτηνται, Τυρκίων ἤδη ναυκρατούντων καὶ κατὰ γῆν τε καὶ θάλασσαν ἀδεῶς ἐπιτιθεμένων, αὐτῶν δὲ τὰ μὲν ῥαθυμούντων, τὰ δὲ πάλιν ἐπιβουλευόντων ἀλλήλοις καὶ ἐμφυλίους σκοπούμενων πολέμους. συμβουλευτέον οὖν κἂν τοῖς μάλιστα καὶ ὅπως τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἀσφαλέστερον διαθέμενοι ἔξουσιν εὐεργετεῖν τοὺς οἰκείους ἀπ' ἀργύρου τε καὶ χρυσοῦ καὶ ἐσθῆτος καὶ ὧν ἄλλων 20 κατονομάζεις ἐν τοῖς πρὸς Ἡρακλέα λόγοις. δεῖ γὰρ εἰ μὴ τι ἄλλο τοὺς γε νῦν ὑπάρχοντας πόρους φυλάττειν. ἀδύνατον δὲ φυλάξαι μὴ ὁμονοοῦντας ἀλλήλοις καὶ ἐκστρατεύοντας καὶ ἀντιπαραταττομένους τοῖς ὑπερορίοις ἐχθροῖς ἐπιουῖσι.

Περὶ δὲ τῶν ἰδίων ἴσθι, ὅτι Γρίφος ὁ σὸς ὁμιλητῆς πολὺ τι παρὰ τῷ 25 D 41 ἀρχιερεῖ δύναται, γραμματεὺς ὧν τῶν μυστικωτέρων καὶ οἰκεῖος τὰ μάλιστα. δύναται δ' οὐ μικρὸν καὶ ὁ Ἀλαιρίας τῶν φιλοῦντων σε, καὶ οὗτος ὑπάρχων καὶ προθύμων συμπράττειν τὰ δέοντα. παρῶν δὲ καὶ ὁ ἡμέτερος Ἰωάννης ὁ Ἀργυρόπυλος, πάλαι μὲν γνώριμος ὧν τῷ ἀρχιερεῖ, νῦν δὲ εὐεργετούμενος L 71^v καὶ τιμώμενος μεγαλοπρεπῶς. χρῆσθαι δὴ σε καὶ τοῖς φίλοις τούτοις νυνὶ 30 καιρὸς ἐπιστέλλοντα περὶ τῶν σαυτοῦ πραγμάτων. ᾧ δὲ μάλιστα πεποιοθῶς ἐπιστέλλεις καὶ συχνὰ ἀνατίθης τὸ πρᾶγμα, οὗτός γε, ὡς ἐν ἡμῖν γε τάληθές B 50^v εἰπεῖν, οὐδὲν δύναται. τὸ δ' αἴτιον γράφειν οὐκ εὐπρεπές.

Περὶ δὲ τῶν ἑμαυτοῦ καινότερον ἐπιστεῖλαί σοι οὐκ ἔχω οὐδέν, πλην ὅτι ἀσθενέστερον νῦν μοι τὸ σῶμα καὶ ἐπιθανατώτερον. σὺ δ' ὅτι ὑγιαίνεις, χαίρω· 35 ἀλλὰ σὲ καὶ πλουτεῖν εὐχομαι, ἵνα μὴ περισπώμενος ὑπὸ πενίας ἀμελῆς τῶν λόγων, ὧν δημιουργός εἰ ἀγαθός. ἔρρωσο.

Ἐκ τῆς Ῥώμης, Πυανεψιδῶνος τετάρτη φθίνοντος.

1 ὠνίους L ὄνιους B D | 4 οὐδὲν L οὐθέν B D | 8 τελείως L τελέως B D | 11 καλλιτέχνησον L καλλιτύχνησον B D | 13 προσθεῖναι L] B corr. ex προσθῆναι] προσθῆναι D | 16 κέκτηνται B D ἔχουσι L | 21 κατονομάζεις L B D κατονομάζει Lampros | 25 ἴσθι, ὅτι L ἴσθ' ὅτι B D | 28—29 παρῶν . . . Ἀργυρόπυλος D *suppl. in margine* | 34 τῶν L] B D om. | 35 ἐπιθανατώτερον L B ἐπιθανώτερον D

**15. Georgius Trapezuntius
Bessarioni Cardinali.**

Accepi litteras tuas, reverendissime pater ac domine, quibus a me L 136
petis, ut magno illi Basilio divinitus contra Eunomium conscripta vo-
5 lumina ac simul, quae ad beatum Amphilochem edidit, in latinam lin-
guam ex graeca transferam. Fateor mecum saepe ac multum cogitasse,
susciperemne arduam ita mihi rem et difficilem, an tibi, cui cuncta L 136^v
debeo, hac sola in re tam honesta tamque utili morem non gererem. Vide-
bam, quod et tu dicis, multum nos debere Latinis, sed me solum plura
10 maioraque multo quam ceteri. Non enim ignoras, quibus a plerisque
generis nostri atque adeo ab ipsis parentibus modis duodecim ferme
annis ante sacrosanctam synodum Florentinam ob catholicam verita-
tem vexatus sum. Unione vero facta studio, labore, opibus beatissimi
papae Eugenii mei omnes mihi redditi sunt. Et ipse non ex levitate ac
15 inconstantia descivisse a meis, sed prudenter atque constanter ad veri-
tatem pervenisse videor. Magna haec mihi fateor et propterea immor-
tales summo pontifici gratias una cum omni genere nostro debeo La-
tinis omnibus ingentes, sed tibi etiam maximas, qui plurimum huic rei
contulisti.

20 Haec aliaque huiusmodi ad traductionem animum impellebant.
Verum libro iam revoluta cum et genus orationis illius viri graeco ser-
mone perfectissimum et sublimis acutaque materies mentem percussis-
sent, territus removi inde animum illico, remque totam maiorem, quam
aut vires aut otium meum patitur, esse iudicavi. Nam quanto perfectius
25 ille graece conscripsit, tanto difficilius in latinam linguam traduci po-
test. Quod enim in summum generis sui accedit, id difficilius in diversa
deducitur, materies vero ipsa theologica et de summa theologiae parte
primum hominem postulat, qui longe ab illuvie absit peccatorum, deinde
qui maiore otio fruatur et non latinae linguae solum, verum etiam
30 theologiae peritum. Nam qui transferre conantur, quae non intelligunt, L 137
eos video verborum solummodo ut pueros sequi potestates <et> a rebus
ipsis plurimum aberrare, quamvis et verba ipsa non bene interpretetur,

L. Suprascriptio: Georgii Trapezuntii ad reverendissimum patrem Bissarionem
cardinalem exhortantem ad traductionem magni Basilii responsio.

Ep. 15. Das Prooemium, das Georgios Trapezuntios seiner Übersetzung von
Basilius' Contra Eunomium vorausschickte. Wir erfahren, daß Bessarion, zu dem
er damals noch in bestem Verhältnis stand, ihn zu der Arbeit veranlaßt hat; ferner
daß Trapezuntios schon 12 Jahre vor dem Konzil von Florenz sich zur lateinischen Kirche
bekannte und deswegen von den eigenen Angehörigen Ungemach zu erleiden hatte.
Sein Werk fällt noch in die Zeit von Papst Eugen IV.

Überliefert ist das bisher noch ungedruckte Prooemium: Florenz, Bibl. Laur.
Plut. 17, Cod. 31, fol. 136—137 (= L).

Mohler, Kardinal Bessarion. III.

qui rem non bene perceperit. Adde, quod haec theologis reverentia omnino tribuenda est, ut sua fere, ut graece iacent, transferantur. Nam longius evagari, commutare, addere vel minuere quicquam, quod plerumque traducenti necessarium est, a theologia quasi periculosum alienissimum est maximeque illi fugiendum, qui hunc Basilii librum traducere cupiat, in quo adeo acutae atque sublimes res sunt, ut mirandum sit, quod primus omnium in rebus tam altis sic omni ex parte optime conscripserit. Floruit enim Iuliani ac Valentis temporibus, cum altero quorum pro christianismo, cum altero pro orthodoxa acerrime pugnavit. 5

His igitur tam diversis rationibus in ambiguum compulsus diu mecum luctatus sum. Tandem cum animo voverem, quam honesta res esset, quam utilis, quam tibi grata, fretus etiam orationibus tuis, quae peccatorum meorum tenebras possunt depellere, suscepi rem ea conditione, ut, nisi per te fuerit examinata, in publicum non prodeat. Lege igitur opus tuum magis, qui non sufficientem ad id hominem elegisti, quam meum, qui auctoritatis tuae pondere magis quam alia re fractus onus viribus meis maius suscepi, et ita lege, ut errata emendes, imminuta suppleas, exuberantia reseces, male collocata commutes. Sic enim tandem immaculata Basilii doctrina non minore, ut cupis, eloquentia in Latinos transibit, quam summa cum admiratione apud Graecos habeatur. 10

16. Nicolaus Perottus

Bessarioni Cardinali.

B 253 En tibi remitto divinum opus tuum, quod nuper adversus calumniatorem Platonis abs te editum ad me legendum misisti. Hoc tanta aviditate perlegi et transcripsi, ut vere affirmare possim toto hoc tempore, quo liber tuus mecum fuit, in tantum me ab eius studio subtraxisse, quantum curandi corporis necessitas coëgit, nec ultra quattuor horas

B Suprascriptio: Nicolai epistola ad Bessarionem in laudem eius libri, qui defensio Platonis inscribitur. | 27 affirmare M affremare B

Ep. 16. Perotti hat mit solchem Eifer Bessarions In Calumniatorem Platonis gelesen, daß er sich nur noch vier Stunden Zeit zum Schlafen gegönnt hat. Er rühmt Bessarions schriftstellerische Fähigkeit. Was Bessarion über Platon und Aristoteles gesagt hatte, sei für die Lateiner eine neue Offenbarung. Angesichts seines Inhalts verdiene das Werk einen anderen Titel; denn in Wirklichkeit sei es eine Einführung in die Philosophie, vornehmlich Platons. Der Brief stammt vom 12. November 1469.

Überliefert ist der Brief: Rom, Cod. Vat. lat. 3399, fol. 253—256 (= B); Cod. Vat. lat. 2934 fol. 242—245; Venedig, Cod. Marc. lat. X 12 fol. 1—2 (= M); Cod. Marc. lat. VI 210. — Druckausgaben: Fr. B. Malvasia, *Compendio storico della basilica de' XII apostoli di Roma*. Roma 1655 (vgl. oben S. 404). — Meine Ausgabe nach B in der Festschrift für H. Finke, Münster i. W. 1925, S. 367—370 (hier verbessert).

inter diem noctemque totis simul diebus somnum cepisse. Cuius rei coniecturam ex ipsa celeritate et angustia temporis facere poteris. Ita enim me trahebat desiderium et ardor quidam legendi, quae scripseras, ut B 253^v nec familiaribus negotiis nec publicis occupationibus nec provincialibus
5 curis nec ullo officii genere ab eo opere possem divelli.

Quo fit, ut affirmare procul dubio possim nulla me umquam in re nec tantum vigiliarum nec minus laboris habuisse. Quid enim umquam per Deum immortalem legi in omni mea vita praestantius, quid excellentius, quid divinius? Equidem eloquentiam tuam et doctrinam
10 et dicendi suavitatem in utraque lingua maxime semper admiratus sum, nihilque umquam abs te vel audivi vel legi, quod non dulce, non suave, non copiosius indicaret, ut loquenti tibi illa Homerici senis mella ex ore profluere, scribenti vero complere apes libellos floribus et nectare viderentur. Legi persaepe epistolas tuas et orationes et libros, sive quos
15 tuo ingenio vel graece vel latine scripsisti, sive quos ex una in alteram linguam convertisti.

Ipse quoque opera tua abs te graece scripta fui aliquando interpretatus, quae certe omnia admiratione potius quam laude digna existimavi. Quis enim non admiretur, quis non probet, quis non omnibus
20 aetatis nostrae operibus anteponat, sive doctrinam rerum, sive orationis gravitatem, sive scribendi facilitatem spectemus? At vero opus B 254 hoc divinum potius quam humanum non tam admiratione me, quam stupore quodam affecit. Quanta enim, o bone Deus, in eo gravitas, quanta amplitudo, quanta dignitas, quanta maiestas! Superasti certe
25 in omnibus, quae hactenus scripsisti, reliquos omnes aetatis nostrae in quocumque doctrinae genere doctos atque excellentes viros. In hoc vero te ipsum vicisti. Quid ego hic vel splendorem orationis vel sermonis gravitatem vel suavitatem dicendi vel latitam illam et plenam hibernis nivibus similem ubertatem commemorem, quibus ita Platoniam illam
30 sublimitatem et altitudinem effinxisti, ut mentiar, nisi saepenumero in legendis illius sententiis, quas modo tuis, modo illius verbis refers, in errorem lapsus sim et, quae illius sunt, tua, quae vero tua, illius esse existimem? Quid de moderatione animi dicam, qua tanta in scribendo usus es, ut nec nominare adversarium, quamquam petulantem hominem
35 et male de te meritum, neque adversus turpitudinem atque obscenitatem verborum illius loqui aliquid immodestius volueris? Quid rationes adducam et acutas et solidas, quibus adversarii opiniones additis elo- B 254^v quentiae tuae nervis et viribus ita dissipasti, ut hominem prostratum, fractum convictumque omnibus irridendum dimiseris?

40 Taceo, quod rem controversam et plenam dissensionis inter doctissimos viros de Platonis atque Aristotelis summorum philosophorum opinionibus ita reserasti, ut nihil iam clarius, nihil apertius esse videatur; praeterea quod eorundem philosophorum doctrinam magna ex parte

convenire mutuo docuisti, quod etsi plerumque doctissimi viri antehac summo studio facere sunt conati, numquam tamen rem adeo difficilem investigare, comprehendere, tenere potuerunt. Omitto, quod inter haec multa ex intima plenam in lucem protulisti, quae ita recondita atque abdita erant, ut paucissimis, praesertim latinis hominibus scirentur. 5
 Sileo praeterea, quod summum atque innocentissimum philosophum, cuius non modo doctrinam, sed etiam vitam ac mores homo, ne quid immodestius dicam, parum gravis spurcissimis verbis ac foedissimo sermone contaminare, polluere, labefactare studuerat, veritatis atque in-
 B 255 nocentiae armis defendisti usque adeo ultus adversarium, ut, qui ali- 10
 quando nomen aliquod doctrinae in Italia habuerat, sit posthac inscitiae, temeritatis et imprudentiae specimen futurus, instar illius, qui, ut nomen sibi apud posteros vendicaret, Dianae Ephesinae templum incendit, pro aeternitate gloriae, quam quaerebat, perpetuam ignominiam adeptus. 15

Illud non tacere et admirari satis ac stupore quodam prosequi non possum, quod omnem omnium artium paene infinitam vim atque naturam hoc uno opere comprehendisti. Quo fit, ut, si mihi daretur facultas titulum pro voluntate mea addendi, nihil magis quam philosophiae thesaurum inscriberem. Quantum enim philosophiae, quantum 20
 privati iuris et publici, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! Nam cum philosophia omnis in tres partes distributa sit, in naturalium ac divinarum rerum obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam ac mores hominum, divinum hoc opus magna ex parte bene vivendi rationem complectitur, omnium liberalium artium sublimiora 25
 B 255^v quaedam praecepta continet et multarum divinarum ac humanarum
 rerum naturam causasque comprehendit. Mentionem facio, quod multas variasque historias, quod philosophorum diversorum opiniones, quod locorum diversos mores, quod praecepta reipublicae et alia pleraque refert ut ignota hactenus ita ad usum vitae commodissima, quod prae- 30
 terea Platonem multis in locis elegantissime apertissimeque exponit, quod interpretis nitro dilaniatum redintegrat, quod denique fidem ac religionem nostram nobilissimi philosophi auctoritate confirmat.

Sed nolo plura de hac re in praesentia loqui, ne laudandi operis tui gratia ad te videar scripsisse. Quapropter ut ad meipsum redeam, 35
 et legi opus tuum avidissime et summa diligentia transcripsi, non corrigendi aut limandi causa, ut efflagitare tuis litteris videbaris, sed commodo nostro et voluptate simul ac fructu incredibili. Opus quippe perfectum erat, et id ex parte absolutum, ut non tam splendescere lima, quam atteri posse videretur. Superest igitur, ut tibi, quantas animo 40
 concipere possum, gratias habeam, qui me in primis tam pretiosi mu-

neris ac vere divini participem facere volueris. Summis abs te praeterea precibus contendam, ut postquam leges Platonis ab hoc rudi et B 256 ignaro interprete ita corruptae ac depravatae sunt, velis huic tanto tuo erga Latinos beneficio etiam illud addere, ut Theodori Gazae, viri doctissimi ope atque auxilio — neque enim in tot maximis gravissimisque reipublicae occupationibus per te omnia potes — tam praeclarum opus latinum facias, ne plenus tot erroribus divinus liber amplius per Italiam circumferatur. In qua re si nostra quoque opera uti volueris, spero fore, ut studio ac diligentia nostra, triumvirali quadam industria tale id opus 10 evadat, ut non prorsus indignum auctore suo possit iudicari, et latini homines inter tot alia beneficia hoc quoque abs te maximum consecuti certatim tibi gratias agant. Vale.

Ex Faliscorum colonia, pridie Idus Novembris.

17. Omnibonus Leonicensis

Bessarioni Cardinali.

Nescio, quid mihi gratius accidere potuisset, quidve iocundius quam B 256^v liber mihi abs te missus. Nam et de eo est et ab eo, ut iam animo concipiam, quid sit expectandum, cum praesertim ipsa etiam exordia eximium quoddam polliceantur atque praeclarum, hoc est Platonis apolo- 20 logiam, ne dixerim, an laudem, sed laudem potius. Nam philosophi tanti, ut tu ipse testaris, non tam defendendi causa suscepta est quam praedicationibus, ut scilicet aliquando praecepta eius et instituta latine cognosci possent. Hoc tuo proposito nihil laudabilius excogitari potuit, nihil utilius.

25 Ille vero impurus, ne graviore verbo utar, qui οὐδὲ τὰ Στησιχόρου γινώσκει, αὐτὸ τοῦτο τὸ ausus est divini illius ac sanctissimi, ut ita dicam, plane et ingenium ignorantiae et vitam flagitii redarguere. Noluit scelestissimi hominis nomen libris tuis inserere. Propterea quoque licet ἀνονόμαστος sit, ut qui Dianae Ephesinae templum incendit. 30 Nam et hic fortasse maledicentia, quemadmodum ille sacrilegio, magnum sibi nomen comparare voluit, nec neuter voti compos. Neque B 257

14 B *Suprascriptio*: Omnibonus Leonicensis Bessarioni Cardinali salutem plurimam dicit.

Ep. 17. Ognibene da Leonigo, der bekannte Grammatiker aus der Schule des Vittorino da Feltre, dankt Bessarion für die Zusendung des *In Calumniatorem Platonis*. Er stellt heraus, daß das Werk nicht so sehr eine Apologie für Platon sei, als eine für die lateinischen Leser gedachte Einführung in die platonische Anschauungswelt.

Der Brief ist überliefert: Rom, Cod. Vat. lat. 3399, fol. 256^v—257^v (= B). — Druckausgaben: Fr. B. Malvasia, *Compendio storico della basilica de' XII apostoli di Roma*. Roma 1655 (vgl. oben S. 404). — Meine Ausgabe nach B in der *Festschrift* für H. Finke, Münster i. W. 1925, S. 370 f. (hier verbessert).

enim minus hic, immo vero multo magis meruit, ut ex omni hominum memoria nomen eius aboleatur. Ille templum manufactum, hic divinum sacrarium ausus est violare, in quo humanarum divinarumque rerum scientia reposita erat. Hoc tamen consecutus est honorificum nimis, quod talem tantae dignitatis et sapientiae adversarium habet. 5 Dignus potius erat, in quem pueri canerent. Nunc et oves ultro fugiat lupus, aurea durae mella ferant quercus, narcisso floreat alnus, pingua corticibus sudent electra murices, certent et cygnis ululae et reliqua. Notum est enim carmen.

Sed ad te ac librum redeo. Quod me tali tantoque munere dignum duxeris, intelligo maius esse beneficium, quam pro eo dignas tibi gratias agere possim, tantumve mihi honoris actum esse, ut duo in ecclesia Dei excellentissimi principes editum ab altero librum certatim mihi mittere studuerint, et eum quidem librum, qui et verborum elegantia et sententiarum gravitate refertus auctorem suum facile repraesentet. 10
B 257^v sentet. Utinam mihi detur facultas, ut tantam in eo tantarum rerum scientiam vimque dicendi divinam praedicare possim. Cui rei cum me imparem esse cognoscam, certe, quod in me est, illum ut volitet docta per ora virum, efficiam. Vale.

18. Franciscus Philelphus

Bessarioni Cardinali.

B 257^v Haud scio, quid optatius mihi potuisset iucundiusque contingere, quam et videre et legere divinum opus tuum, quod nuper adversus

2 divinum] vinum B | 8 murices] murice B | 12 tantumve] tantum ne B |
20 B *Suprascriptio*: Franciscus Philelphus Bessarioni Cardinali salutem plurimam dicit.

Ep. 18. Wie Filelfo schreibt, war Bessarions In Calumniatorem Platonis durch literarisch interessierte Leute nach Mailand gelangt und auch Filelfo zu Gesicht gekommen. Allgemein werde das Werk bewundert, während man sich über Georgios von Kreta (= Trapezuntios) entrüstet habe. Filelfo selbst will sich erst noch ein Urteil über ihn bilden und deswegen zunächst das Werk des Georgios lesen. — Das Schreiben ist datiert vom 10. September, ohne daß das Jahr angegeben wäre. Es handelt sich aber nur um 1469, in welchem Jahre das In Calumniatorem aus dem Druck hervorgegangen ist. Ebenso besagt das der nächste Brief (ep. 19), der vollständig datiert ist. Dementsprechend ist meine Angabe (1470) Band I 386 zu verbessern. Der bei E. Legrand, Cent-dix lettres grecques de Fr. Filelfo n. 87 p. 154 mitgeteilte Brief Filelfos an Bessarion vom 9. Dezember 1469 braucht nicht, wie ich früher angenommen hatte, vor dem vorliegenden Stück geschrieben zu sein.

Ein Vergleich dieses bisher nicht beachteten Briefes mit Ep. 19, einem längst bekannten Stück, erweist den ersteren als Vorlage. Vgl. unten S. 599.

Überliefert ist der Brief: Rom, Cod. Vat. lat. 3399, fol. 257^v—258 (= B); Cod. Barb. XVI 85 fol. 151. — Venedig, Cod. Marc. lat. VI 210; Cod. Marc. lat. XI 2. — Druckausgaben: Fr. B. Malvasia, Compendio storico della basilica de' XII apostoli di Roma. Roma 1655 (vgl. oben S. 404). — Meine Ausgabe nach B in der Festschrift für H. Finke, Münster i. W. 1925, S. 371 f. (hier verbessert).

calumniatorem Platonis abs te editum in hanc urbem a diversis studiosis delatum fuit et cum summa atque mirabili omnium admiratione lectitatur, quamquam omnes stomachentur Georgii Cretensis, quem tu pro tua modestia nominare noluisti, maledicta in philosophorum principem ac patrem Aristotelem, cognomento Platonem. Atque ego certe non mediocriter admiratus sum in id insaniae incidisse Georgium Cretensem, ut non modo incomparabilem summi viri doctrinam atque sapientiam non probarit, sed vitam etiam modestissimam ac pudicam et ab omni vetustate mirifice laudatam impudica arundine polluere se
 5
 10 posse animum induxerit. Quae res etsi ea ratione mihi maxime placet, quod causa fuit, ut tam elegantes et vere divinos libros praeclara ingenii ac doctrinae tuae monumenta haberemus, danda tamen mihi opera est, ut, quae Georgius in Platonem scripsit, quam diligentissime perlegam. Id si fiet, vel discam aliquid vel docebo, fietque alterutrum ex officio.
 15 Tuae igitur humanitatis erit hoc mihi gratificari. Quod ut facias, etiam atque etiam rogo, Vale.

Mediolani IV Idus Septembres.

19. Franciscus Philelfus Bessarioni Cardinali.

20 Haud scio, quid optatius mihi potuisset iucundiusque contingere, quam ea te usum beneficentia, pater reverendissime, quod me donatum abs te volueris pulcherrimo tuo illo eruditissimoque et eloquentissimo codice, quo Georgii Cretensis maledicta in philosophorum principem ac patrem Aristotelen, cognomento Platonem, non minus graviter ac vero
 25 quam acerrimis suisque rationibus refellisti evellistique radicitus. Et sum

18 *Suprascriptio*: Franciscus Philelfus Bessarioni, Cardinali Nicaeno et Constantinopolitano patriarchae salutem.

Ep. 19. Wenn Filelfo im vorhergehenden Brief am 10. September 1469 Bessarion Mitteilung macht, daß er das In Calumniatorem durch andere kennengelernt habe, so dankt er ihm hier am 5. Oktober 1469 für die Überreichung des Werkes. Auffallend ist dabei, daß er einen großen Teil des ersten Briefes hier wörtlich wiederholt. Ich kann mir diesen Tatbestand nur so erklären, daß jener erste Brief, der hier offensichtlich als Vorlage gedient hat, noch nicht abgegangen war, als Filelfo Bessarions Geschenk erhielt. Filelfo erscheint damit gerade nicht als der von Geist sprühende Humanist; sonst hätte er andere Worte finden müssen. — Daß Filelfo aber dem Trapezuntios geneigt war und daß er von den philosophischen Fragen überhaupt nichts verstand, habe ich schon Band I 386 f. ausgeführt. Es wird deswegen auch nicht überraschen, wenn er hier Aristoteles und Platon nicht auseinanderhalten kann (in philosophorum principem ac patrem Aristotelem, cognomento Platonem). Vgl. auch oben S. 576, Ep. 2.

Der Brief liegt gedruckt vor bei Fr. Filelfi Epistolarum libri XXXI. Venetiis 1502, fol. 214, nochmals bei E. Legrand, Bibliographie Hellénique III. Paris 1903, p. 45 (unter Heranziehungen einiger Hss). Hier durfte er wegen Ep. 18 nicht fehlen.

equidem non mediocriter miratus in id insaniae incidisse Georgium Cretensem, ut non modo incomparabilem summi viri doctrinam atque sapientiam non probarit, sed vitam etiam modestissimam ac pudicam et ab omni vetustate mirifice laudatam impudica arundine polluere se posse animum induxerit. Et, ut tibi ingenue fatear mei animi sententiam, non facile adducor, ut credam usque adeo Georgium istum ab sese alienatum, ut mentiatur tam impudenter. Quod ut ita existimem, ea moveor coniectura, quod cuius maledici nomen in primordio tui nobilissimi operis te nullo pacto in medium prolaturum affirmas, id ad calcem additum invenio, et ea quidam oratione, quae tuae minime cohaeret. Quo fit, ut, quid iudicaturus sim de homine, non intelligam. Sed, utcumque res habet, mihi opera danda est, ut quae Georgius in Platonem scripserit, quam diligentissime perlegam. Id si fiet, vel discam aliquid vel docebo, fietque alterutrum ex officio. Tuae igitur humanitatis fuerit hoc item benignitatis munus mihi gratificari. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale, pater reverendissime.

Ex Mediolano, III Nonas Octobres 1469.

20. Antonius Panormita

Bessarioni Cardinali.

B 258 Allati nuper Neapolim fuerunt libri tui, quos adversus calumniam Platonem mira cum sapientia, maxima cum eloquentia edidisti. Perlegi eos summo cum desiderio atque animi voluptate, mentiarque nisi eos non tam pro Platone, quam a Platone scriptos existimaverim. Ita enim illius copiam, elegantiam, gravitatem, orationis denique felicitatem exprimis, ut profecto mirari simul et laetari liceat Romae Platonem sua illa suavi eloquentia latine locutum. Nam quibus rationibus, quo dicendi acumine, quibus argumentis abs te refellatur atque arguatur vir sceleratissimus Platomastrus, non attinet dicere praesertim ad te de te scribenti. Modestus vero apud alios praedicabitur et quotidie praedicatur ingenii tui vis et doctrinae praestantia. Surgentes spero non longe post clarorum virorum libros aspernes in laudem ac gloriam tuam immortalem et adversarii nequissimi nebulonis perpetuam infamiam.

Nunc vale et Theodorum nostrum doctissimum ama et exorna, ut facis. Neapoli.

12 utrumque *Ed. Venet.*

18 B *Suprascriptio*: Antonius Panormita Bessarioni Cardinali salutem plurimam dicit.

Ep. 20. Antonio Beccadelli äußert seine Freude über das In Calumniatorem Platonis, das auch nach Neapel gekommen ist.

Der Brief ist überliefert: Rom, Cod. Vat. lat. 3399, fol. 258—258v (= B). Druckausgaben: Fr. B. Malvasia, *Compendio storico della basilica de' XII apostoli di Roma*. Roma 1655 (vgl. oben S. 404). — Meine Ausgabe nach B in der *Festschrift für H. Finke*, Münster i. W. 1925, S. 372.

21. Johannes Argyropulos
Bessarioni Cardinali.

In ipso meo acerbissimo casu ac miserabili calamitate duobus liberis B 258^v
intra paucos dies in ipso flore iuventutis amissis divinum opus tuum
5 mihi oblatum est adversus Platonis nostri foedissimum calumniatorem
editum. Quod, etsi vi calamitatis et doloris magnitudine opprimebar,
ut mei compos esse non possem, — nullo enim modo resistere dolori po- B 259
teram — perlegi tamen eo tempore, quo fessa aliquando ac defatigata na-
tura cessare a luctu et animus aliquanto tranquillus esse cogebatur.
10 Ea vero in eo opere inveni, quae ab acutissimo tuo ingenio et singulari
rerum omnium scientia proficisci posse certo sciebam. Nihil profecto
desiderari in eo potest, quod ad summam rei, de qua agitur, perfec-
tionem pertinere videatur. Est in illo elegantia sermonis Platonici simi-
lis, est subtilitas gravitasque sententiarum, est praeterea dispositio re-
15 rum, qua nulla alia accommodatior excogitari fingique potest. Quid
plura? Is est splendor libri totius, ea dignitas, id artificium, quae et
proposita materies et eius viri, cuius partes defendebantur, dignitas
postulabat.

Egisti, Bessario, quod ad eruditum virum, quod ad iustum, quod
20 ad optimos mores pertinere videbatur. Et hominem innocentissimum,
sapientissimum, optimum de hominum genere meritum contumeliis af-
fectum iniquis et ut ignarum et flagitiosum notatum defendisti. Tum B 259^v
rabulae illius, qui divino homini bellum nescio quo consilio indixerat,
rationes ineptissimas dissolvisti. Praeterea multas praeclarasque sen-

1 B *Suprascriptio*: Ioannes Argyropylos Bessarioni Cardinali salutem plurimam dicit. | 13 Platonici] Platonice B.

Ep. 21. Argyropulos hat das In Calumniatorem Platonis, das ihm Bessarion zum Geschenk gemacht, erhalten, kurz nachdem innerhalb weniger Tage seine zwei Kinder gestorben waren. Doch habe er nach Überwindung des ersten Schmerzes alsbald das Werk gelesen. Er rühmt Bessarions Sprache, die an Anmut der Ausdrucksweise Platons gleiche. Mit fein empfundenem Urteil habe er jenen Rabulisten abgetan. Die Hauptsache sei aber, daß er manche Meinung der beiden Philosophen einmal klargestellt habe. Besonders die Lateiner, die nunmehr über Platons Welt- und Lebensanschauung Bescheid wissen, seien ihm zum Dank verpflichtet. — Zu Argyropulos' Trauerfall vgl. das Beileidsschreiben Filelfo vom 22. Juni 1469 bei E. Legrand, *Cent-dix lettres grecques de Fr. Filelfe*, Paris 1892, p. 142s, Th. Klette, Beiträge zur Gesch. u. Lit. der Italienischen Gelehrtenrenaissance III. Greifswald 1890, S. 156.

Der Brief ist überliefert: Rom, Cod. Vat. lat. 3399, fol. 258^v—259^v (= B). — Druckausgaben: Fr. B. Malvasia, *Compendio storico della basilica de' XII apostoli di Roma*. Roma 1655 (vgl. oben S. 404). Σ. Π. Λαμπρός, 'Αργυροπουλεῖα. 'Εν 'Αθήναις 1910, 190—191 (fehlerhaft). — Meine Ausgabe nach B in der Festschrift für H. Finke, Münster i. W. 1925, S. 372 f.

tentias philosophorum occasionem nactus non modo praesentibus, sed etiam posteris aperuisti. Quapropter non mediocres tibi perpetuo gratias genus mortalium debet. Imprimis autem tanti tibi beneficii obnoxii sunt Latini. Neque enim posthac huiusmodi ineptiis seduci poterunt et ea, quibus ab Aristotele carpi Plato videretur, ita ut capienda sunt, accipient et Platonem insuper talem fuisse, qualis natura, moribus, scientia fuit, si auctoritati doctorum hominum credere, si rationibus obtemperare voluerint, existimabunt.

Plura scribere nequeo, etsi res ipsa magnitudine dignitateque sua plura efflagitare videtur. Mens enim magnitudine doloris oppressa nullum recte officium potest. Vale, vir sanctissime.

Florentiae VI Calendas Novembris.

ΠΑΝΕΠΙΣΤΗΜΙΑΚΗ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ
ΤΟΜΕΑΣ ΝΕΟΕΚΔΟΣΕΩΝ
ΔΙΕΥΘΥΝΤΗΣ: ΑΝ. ΚΑΘΗΓΗΤΗΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ ΤΡΕΖΗΣ